Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3349
Quelle:
Copyright:

cleſie habere temporalia. Queſtio in ſacro Concilio Baſilien. diſputata. Ad quam reſpondit magiſter P. J. de palomar (Polemar) *Auditor cauſarum ſedis Apoſtolice.* Praemiſſis titulis incipit: *Norunt experiencie Veſtre nec ambigo quam difficile ſit in diſputationis agitare certamine* &c. Bis contra quartum *Bohemorum* Articulum de Poſſeſſionibus Cleri temporalibus oraſſe *Polemarium Baſileae* diximus ad *Codd.* praeced. et extant Orationes illae *locis ibid. citt.* Sed diverſa ab illis praeſens eſt Diſputatio, quam dedit quidem *Manſius Supplem.* T. IV. *col.* 663. titulo *Pulcrae Poſitionis*, ſed in *Cod.* noſtro: *Secuntur Oppoſitiones collecte ex bijs que per Reverendiſſimum Dominum Legatum* (Cardinalem S. Angeli Julian. Caeſarinum) *apoſtolicum egregie et per alios dominos prelatos et magiſtros dicta fuerunt, et ſoluciones earundem*, quae pene tot folia occupant, quot ipſa *Poſitio*, hoc initio: *Ne ſiniſtre occupemus tempus in gloſſis uel dictis doctorum, que ab hereticis non ſuſcipiuntur* &c. et fine: *quales ipſi non habent vnum pro centum.* Atque cauſſam omnem multum illuſtrant.

II. *fol.* 26. *Tractatus contra errores Wiklefiſtarum.* Non invenio illum in Conciliorum Editionibus. Inſcriptus eſt: *Vniuerſis chriſtifidelibus Regibus Ducibus principibus marchionibus Comitibus Baronibus Nobilibus Ciuitatibus Nec non alijs catholicis quibuscunque Deum timentibus et diligentibus*, et incipit: *Sacroſancte fidei catholice Defenſores ac honoris Ihesu chriſti Domini noſtri Zelatores ardentiſſimi Curandum ſummopere et tota vigilantia conſiderandum eſt* &c. Cauſſa ſcribendi capta dicitur a *quodam Libello ſcandaloſo totique mundo iniurioſo et erroneo transmiſſo principibus quibusdam et communitatibus ex parte perdicionis filiorum Procopij ſmabors Corande Sanie Smalik Capitaneorum Bohemorum et aliorum complicum Hereticorum* &c. quorum Adſerta recenſentur et perſtringuntur acerrime. Ultima ſunt: *Per Ihesum chriſtum Dominum noſtrum gloria magnificentia Imperium et poteſtas ante omne ſeculum et nunc et in omnia ſecula Amen.* Et adjectum: *Hec ſcripta ſunt vt credatis et vt credentes vitam eternam habeatis Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo triceſimo ſecundo.*

III. *fol.* 35. *Libellus de Arte moriendi.* Initium: *Cum de preſentis exilij miſeria* &c. ut *Codd.* pluribus, quos *Index* refert. Textus hic inſerviit celebri illi rudimento xylographico Artis imprimendi inſcripto *Ars moriendi* ſeu *de Tentationibus Morientium*, de quo curate egit Ill. *Heineckenius* in *Idée complette d'une Collect. d'Eſtamp.*

IV. *fol.* 49. p. 2. Verſus XXI. *de Morte* hoc initio:

Mors eſt ventura prece nec precio fugitura
Mors neſcit iuueni parcere neque ſeni. &c.

V.